



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titulus XV. De Commodato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)

usu receptorum, rationem reddit Gibalinus, eas ad rerum Ecclesiasticarum dirptionem evitandam inventas aut propagatas, perhibens *cit. cap. 2. art. 2.* Unde

quam Calvinus *l. cit.* non dubiam censet vana & non satis æquò in Prælatos Ecclesiasticos studio excogitata videtur Originæ Preciariorum.

TITVLVS XV.

De Commodato.

SUMMARIUM.

1. Etymon & natura Commodati :
2. Quò res ad certum usum & tempus conceditur :
3. Ut ante non possit revocari.
4. Ejus differentia à Mutuo :
5. A Deposito & Locatione.
6. Commodantur res etiam immobiles, incorporales & alienæ :
7. Quas Commodatarius in specie,
8. Cum fructibus & accessoriis restituit,
9. Earum interitum & deteriorationem præstat,
10. Non quidem, si pereant vel deteriorentur casu,
11. Saltem spectatò communi Jure & Regulariter :
12. Sed, si id culpâ, etiam levis simâ fiat :
13. Nisi res commodataris simul & commodantis.
14. Vel istius solius gratiâ sit commodata.
15. Pupillus tamen ex culpa solùm lata tenetur.
16. Commodatum retineri nequit in debiti compensationem :
17. Nisi aliquando pro expensis factis in ejus conservationem,
18. Commodatum ante usum & tempus expletum non revocatur :
19. Nisi eò aquè vel magis indigeat commodans :
20. Etsi hoc etiam casu donatum non repetatur.

Simile Precario est Commodatum, sic dictum; quòd sit accipientis commodo, Glossa in *c. Ulic. v. Commodatum*, sive ad ejus usum & gratiâ datum; Commodatum enim est Contractus, quò res ad certum usum & tempus gratis eâ lege conceditur; ut illi finitò eadem in specie restitatur, Glossa *cit.* & ex communi aliorum DD. sentit Hostiens. in *Summa hic n. 1.* Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 27. n. 4.* & Haunold. *Tom. 4. de J. & J. tract. 10. n. 715.*

Dico, *Ad certum usum & tempus*; Primò; quia, sicut Precariò, sic etiam Commodatò in accipientem non transfertur rei dominium: imò contrò, quàm in illo aliquando contingit, *l. Et habet ff. §. 4. ff. de Precario*, nec possessio; cum illa, tam naturalis quàm civilis, per se commodantem remaneat, *l. Res commodate §. 1. Nemo §. ff. Commodati*. Secundò; quia, licet, sicut precariò, sic etiam commodatò data res ad usum & gratiâ concedatur, rei que traditione periciatur, usus tamen, ad quem res commodatur, certus est ac specialis, vs. equi ad iter. Ratio

Ratisbonense, libri ad transferendum: quem si commodatum accipiens excedat reque aliter utatur, furtum committit, *l. Si ut ceret §. §. 8. ff. Commodati & §. Furtum 6. Instit. de Oblig. ex delicto*. Tertio; quia commodatō res utenda datur non certō tantūm modō, sed etiam ad certum ac definitum tempus: vel expressē, vg. ad mensem aut annum: vel tacitē, ut cūm equus commodatur ad iter Pragam aut Viennam usque; cūm ita commodatō concessa intelligatur pro tempore, quod prudentis arbitriō necessarium est ad finem commodati consequendum, Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 294. n. 6.* & Palao *Tract. 32. disp. 3. p. 2. n. 1.* Quarto demum; quia, sicut ante usum & tempus illud exple- tum res commodata revocari à domino non potest, *l. In commodato 17. §. 3. ff. commodati*: sic, illō expletō, res non in genere sive alia similis, sed in specie, sive eadem numerō vel, ut Philosophi loquuntur, in individuo, & eadem omnino, quæ est data, restituenda est, *l. Mutuum 2. pr. ff. de Reb. credit. Gonzalez in c. Umic. cit. n. 1.* Unde

Patet differentia Commodati, im- primis à Mutuo; quia illō in accipien- tem rei dominium, non ut commodatō, *l. Rei §. 1. Nemo 9. ff. hie*, solus ejus usus transfertur: & mutuō finitō res in genere sive alia similis, non eadem in specie sive individuo restituitur; cūm mutuō propriē res tantūm fungibiles vg. pecunia, triticum, vinum, oleum &c. quæ ipsō usu absumuntur; comodatō verō dari possunt res omnes, quæ usu non absumuntur *l. 1. §. 1. ff. hie Rubr.* Imō etiam, quæ usu absumuntur, si eas ad pompā duntaxat & ostentationem, non etiam ad prop- rium usum quis accipiat, *l. Sed mihi 3. §. fin. ff. hie* Ceterū, licet per *citr.* aliosque textus alia Mutui, alia Commo-

dati nominum significatio sit, RR. tamen aliqui DD. concedere non dubitant, Com- modatū Mutuum ad usū & vicissim Mu- tuum Commodatum ad abusum dici posse, modō non aliend ab idiomate Germano- rum, eadem voce entlehnet; & Mutui & Commodati acceptionem proferentium, ut rectē observat Haunold. *Tract. cit. n. 715.* Deinde à Deposito & Pignore; quōd i- storum contractuum neutrō res ad usum, ut in Commodato: sed depositario ad cu- stodiam, & cūm domino liberit, re- stituenda: creditori verō ad securitatem datur: eamque ob causam isti, si re depoi- tā aut pignori datā invitō dominō utan- tur, furtum conmittant, *§. Furtum cit.* Demum à Locatione, quia istā res pro certa mercede, non gratis, ut Com- modatō, datur, *§. Item is 12. V. Com- modata. Instit. Quib. modis re contrah. cit. Molina disp. 292. n. 1. & 2.*

Porro, sicut precariō, sic etiam 6. commodatō dari possunt res non solū mobiles vg. liber, equus, vestimentum, vas; sed & immobiles, ut domus, sta- bulum, *l. 1. pr. ff. hie Rubr.* & incor- porales, sive jura, & servitutes, *l. 1. cit. §. 1. in fine*. Imō etiam sacræ vg. calix aliæque vasa, vestimenta & ornamenta unius Ecclesiæ ad alterius sacros usus, Azor *p. 3. Instit. lib. 7. cap. 4. q. 3.* Multō magis Ecclesiarum & monasteriorum res prophanæ & merē temporales: dummo- do id fiat ex iusta causā & quando ejus- modi rerum immobilium usus ad decen- nium aut longius tempus conceditur, antiqui Juris solennitates adhibeantur, *Clement. 1. de Reb. Eccles. alien.* & modernō Jure, consensus Apostolicus ac- cedat, vigore *Extravag. Ambitiosæ eā- dem Rubr. inter Communes.*

Commodatam autem rem, sicut 7. qui accepit, modō & tempore definitō utendam retinere sine revocationis peri- culō

culo potest, ita sollicitè curare debet; ut usu & tempore finito non solum res eadem in specie vel, si cum Philosophis loqui lubeat, in individuo, *l. Murum cit. pr.* sed salva & integra reddi queat; cum, quæ deterior redditur, propriè & bonâ fide reddi non videatur, *l. Sed mihi 3. §. 1. ff. hic.*

8. Neque solum eadem & integra, sed unâ cum fructibus & accessoriis, & v.g. equus commodatus cum pullo est restituendus, *l. Si ut certo cit. §. 9.* quia, quæ accessionis jure veniunt, ejus sunt, cujus est ipsum principale, *l. Cum autem 29. §. 13. ff. de Auro & arg. legato: & inter ipsos contraheentes actum censetur; ut, quod ex re commodata natum est, in eadem causa, in qua res commodata, habeatur, arg. l. Quamvis 10. ff. de Precariis.*

9. Quod si res apud commodatarium fuerit perempta vel deteriorata, ejus non amplius extantis vel non apparentis æstimationem à judice approbatam, vel pretium deteriorationis, hoc est, quanti deterior reddita est res commodata, domino præstando commodatarius liberatur, *l. Sed mihi §. 1. cit.* neque enim, si pro ea perempta vel deteriorata alia similis commodanti offeratur, iste eam recipere cogitur; cum invito aliud pro alio solvi non possit, *l. In commodato cit. §. fin. & pr. Instit. Quibus modis toll. oblig.*

Cum autem rei peremptio sive interitus vel deterioratio, licet frequenter, non tamen semper ipsius commodatarii culpâ accidat, in dubium & quæstionem venit, an semper, vel quando ad ejus peremptam æstimationem vel deteriorationis pretium domino præstandum commodatarius teneatur.

10. Et quidem, si id accidat casu fortuito, v.g. fulmine, vi tempestatis, in-

curfu hostium, rem domino suo prætere vel deteriorari, *arg. l. Pignus p. C. de Pignorat. act.* ac proinde commodatarium Jure communi regulariter non obligari, *c. Unico cit. §. l. 1. §. 4. ff. de O. & A.* clarè decisum est, ut id nemo in dubium vocet; cum enim ejusmodi casus vis major, quæ à nullo prævideri & præcaveri potest, & fatalia damna sint, æquitas non patitur; ut à contractibus regulariter præstentur, *l. Quæ fortuitis 6. C. de Pignorat. act. Jur. inquam, communi & Regulariter.*

Prius; quia Jus Provinciale Bærricum commodanti magis faveret: & commodatarium, in cujus solius gratiam res commodata est, ad transactionem de damno, sine omni ejus culpa ex casu fortuito secuto, judicis arbitrio invidiam, compelli perimitit, *Landrecht Tit. 17. art. 1. Haunold, cit. Tract. 11. n. 729.*

Posterius; quia *c. Unico cit.* capiuntur tres casus, quibus ex casu etiam fortuito commodatarius tenetur. Primum, si casum fortuitum præcesserit ejus culpa, v.g. si equus ad domesticos usus concessus, ducatur ad bellum, *l. Si in cetero cit. §. 7.* Secundò, si ad initium convenit; ut commodatarius damnum ex certo aliquo casu fortuito securum præstaret; quia contractus ex conventionem legem accipiunt, *Reg. Contrah. 23. ff. §. 5. in 6.* Tertio, si commodatarius post usum & tempus expletum sit in culpabili mora restituendi; quia mora sua cuilibet nociva est, *Regula cit. 25. in 6.* Nisi tamen res v.g. propter interitum æquè peritura fuisset apud commodantem; hoc enim casu commodatarius ad præstandum casum fortuitum verisimilius non obligatur; quia rei interitus sive damnum illatum mora etiam culpabili nequit imputari, *arg. l. Si pater 11.*

12. *11. §. 1. ff. Depositi, Sylvester V. Mo-*
ra, q. 1. & cit. Molina disp. 295. n. 4.

Si autem res interit vel deteriora-
ta est culpa commodatarii, tritarium
est distinguendum; primo enim, si pe-
reat res, quæ commodata est gratiâ so-
lius commodatarii, ut plerumque solet,
iste obligabitur non solum ex lata & le-
vi, sed ex levissima quoque culpa, *c. Unici*
cit. pr. §. 1. In rebus 18. pr. ff. hinc; quia,
quò majus est beneficium, eò magis id ac-
cipienti cavendum est; ne in dantis in-
juriam aut damnum cedat. Unde in-
fertur casu, quò res ita commodata pe-
rit, dum ad commodantem refertur,
damnum pertinere ad commodatarium,
qui ad referendum hominem non idone-
um elegit, *l. Eum qui 10. §. 1. Qui non*
tam 11. ff. hinc. Secus esset, si eam per-
ferendam commisisset homini probatæ &
minimè suspectæ fidei, & quò in simili-
bus negotiis uti consuevit, *l. Argentum*
20. ff. Rubr. cit. Haunold. n. 725, & Bru-
neman. in l. Eum qui cit. à n. 1.

Neque obstat; quòd §. *Item is cui*
2. V. Et is quidem, Institur. de Oblig.
qua re contrah. in commodatario exiga-
tur diligentia solum *Exacta*: cujus omis-
sio levis, non levissima culpa est; quia
textu illò Positivo vis Superlativi tribu-
enda est; ut concilietur cum *l. 1. ff. de*
O. & A. cujus §. 4. custodiendæ rei di-
ligentiam *Exactissimam*, cujus omisio le-
vissima culpa est, præstare compellitur,
Harprecht in cit. §. 2. n. 24.

13. Secundò, si pereat res, quæ com-
modata est gratiâ utriusque, v.g. cum ad
conviviò vel hospitio recipiendum ami-
cum utriusque, hoc est, tam commodan-
ti quam commodatario, communem vasa
aurea vel argentea, tapetes &c. conce-
duntur, commodatarius ex culpa lata &
levi: non autem ex levissima obligatur,
l. In rebus 18. pr. V. At si utriusque, junctâ

Glosâ *V. Estimatio ff. eadè Rubr.*; cum
enim, quòd gratiâ utriusque datur, mi-
nus beneficium sit eò, quòd datur gra-
tiâ solius accipientis, ad minorem illò,
quàm hoc casu diligentiam, ac proinde
illò non obligatur ad exactissimam, cujus
solius omisio culpam levissimam con-
stituit.

Tertiò, si pereat res còmodata **14.**
principaliter gratiâ solius commodantis,
v.g. si ornamenta sponsæ ad se honestius
deducendæ à sponso concessa sint: vel, si
quis Juris perito causæ suæ patrocinium
gratis suscipienti vel Consilium concipi-
enti commodet libros, commodatari-
us, ut propositis casibus sunt sponsa &
Jurisperitus, solum tenentur de dolo, *l.*
Si ut certo cit. §. 10. & culpa lata, quæ
in obligationibus ex contractu ortis do-
lo æquiparatur, l. Quod Nerva 32. ff.
Depositi; cum enim tali casu beneficium
non tam accipiat, quàm præster, meritò
ad minorem diligentiam tenetur, quàm
si etiam sui gratiâ accipiat commodatum,
cit. Molina disp. 295. n. 1. Palao disp.
3. p. 6. n. 3. & Haunold. à n. 725.

Pupillus etiam, quantumvis in ipsius **15.**
solius gratiam commodatum sit, com-
modanti non tenetur, nisi ipsius dolo vel
culpâ latâ res interierit, vel sit deterio-
rata: vel quatenus inde locupletior est
factus, *l. 1. §. 2. l. Sed mihi 2. pr. ff.*
hinc §. 1. 1. §. 15. ff. Depositi, Palao cit. n.
3, in fine.

Dubium secundò & controversa in- **16.**
ter DD. est, an res commodata retineri
valeat in alicujus debiti compensationem.
Id enim aliqui cum Panormit. *in c. fin.*
de Deposito n. 12. & Sylvestro V. Com-
modatum q. 3. absolute affirmant, &
contrà alii cum *cit. Molina disp. 297. n.*
10. ita negant: quos & in utramque par-
tem militantes Juris textus alii, nec ma-
lè, conciliant auxiliò distinctionis. Et
quidem,

quidem, si res commodata extet & restitui queat, expletò usu eam ipsam domino restituendam; neque locum compensationi esse, desumunt ex *l. fin. C. hanc Rubr.* cujus textus est, *Prætextu debiti restitutio commodati non probabiliter recusatur.* Ratio est; quia propriè dictæ compensationi locus solum in rebus fungibilibus est, *l. Si constat 4. C. de Compensat. & l. Si convenerit 18. ff. de Pignor. act.* in quibus commodatum per se loquendò fieri non potest, *l. 1. §. 1. ff. hinc & l. Gratuitum 17. ff. de Prescript. verb. Accedit;* quòd, si res v.g. equus comodatus retineretur in alicujus debiti compensationem, comodans rem suam quasi vendere cogetur; quia in effectu perinde esset, ac si equus venditus & pretiò debitum esset solutum: rem autem suam vendere quem invitum cogi, Jura non permittunt, *l. Invitum 11. C. de Contrab. empr.* Si verò res commodata sit perempta, ac proinde non ipsa sed ejus æstimatio: vel ipsa quidem, sed, quòd deterior facta, cum deteriorationis pretiò restituenda sit, æstimationis & deteriorationis sive istius pretiò cum alia quantitate debita compensationem concedunt, juxta *l. Si constat cit.* Haunold, *Traité. cit. n. 739. Palao q. 9. n. 3. & Perez in C. de Commodato à n. 18.* qui cum *cit. Molina n. 11.* eidem commodatario permissam etiam volunt rei commodatæ retentionem jure pignoris pro expensis, in ejus conservationem factis, donec istæ fuerint persolutæ.

Neque, compensationi in commodato locum generaliter esse, evincit textus *l. fin. C. de Compensat.* quæ & §. *In bona 30. Instit. de Actionib.* ea in omnibus actionibus Realibus & Personalibus permittitur, solâ Actione Depositi (& causâ Spolii) exceptâ; quia textibus istis compensatio in cæteris Actionibus per-

mittitur, quando res culpâ possidentis vel detinentis non amplius extat; ac proinde exceptio depositi, illam non admittentis, spectat calum, quò rei, quò depositarii dolò vel culpâ latâ perempta sit, sola æstimatio debetur; nam ceteræ hæc, quantumvis in cæteris Actionibus aliud obtineat, cum alio pecuniæ seu quantitatis debito non compensatur; cum propter exuberantiam bonæ fidei de deposito: tum ne depositarii culpâ latâ vel dolò suò compensandi jus acquirat, Bruneman. in *l. fin. cit. n. 5. & 10.*

Dubium tertio est, an commodatum ante expletum tempus & ulum, quo concessum est, possit revocari. Ordinariè non posse, patet ex *c. Unius cu.* quia; ut hoc textu dicitur, *Non deprecios beneficio oportet, sed adjuvari;* quòd verum est, etiam concedens mortuus cum gratia facta concedentis morte non expiret, *arg. l. Locatio 4. ff. Locati & c. Si gratiosè 5. de Rescript. in 6.*

Quare dubio locus solum est de casu extraordinario, quò æquale vel majus & antè non prævium damnum preteretur commodans, si rem non revocaret, quàm commodatarius, eà revocata. In quo, licet Negativam teneat *Narrerus Manual. cap. 17. n. 182.* cum; quòd consilium suum mutare quis non possit in alterius detrimentum, *Reg. Morum 33. in 6.* quòd tamen fieret commodatarii revocatione: tum verò; quòd res per commodatum jam applicata sit alteri; & propterea, sicut res donata, sic etiam ipsa revocari non posse videatur. *NS. hilominus Pranob. & Magnif. D. Collegæ à Widmont Traité. de Contract. tit. 3. n. 4. & mihi etiam magis placet Affirmativa, commodanti revocationem tali casu permittens cum *cit. Molina disp. 294. n. 12. & Lessio Lib. 2. de 1. 1. cap. 27. n. 18.* Ratio est; quia com-*

modans ad plus non tenetur; quam se voluit obligare: non autem censetur ad talem eventum se obligandi habuisse voluntatem; cum in dubio, quisque sibi magis, quam alteri, consulere velle, praesumatur. Quare tali casu aequè, imò magis rem commodatam revocare commodanti permixtum est, quam locatori ex casu ante non praevisto alias, quas incolat, non habenti, ex aedibus locatis conductorem ante tempus expellere, *l. Eadem 3. ff. Locati*, cum à locatore aedes pretio conductæ: non, ut res commodata, gratis sint concessæ.

Neque obstat *Regula cit.* quia in vigore consilium commodans non mutat; cum rem commodandò non habuerit animum, eam nullò casu: sed solummodo

non revocandè extra improvisum casum, quò re ipse aequè vel magis quam commodatarius indigeret; quia commodatò res alteri applicata non est omnino absolutè, sed sub tacita conditione, *Nisicam autè revocare aequalis aut major necessitas cogat.* Unde hujus casu urgente repeti etiam ante tempus & usum expletum potest, sicut ex locatis aedibus expelli conductor. Aliter res se habet in donatione: quam, quò rei donatæ ac traditæ non usum duntaxat, sicut commodatum & locatio, sed ipsum ejus dominium transferat, firmam esse oportet, & extra casus Jure expressos non revocari expedit bono communi, *Molina n. 12. cit. Azor cit. Lib. 7. cap. 8, q. 2. & Perez l. cit. n. 16.*

20.



TITVLVS XVI.

De Deposito.

SUMMARIUM.

1. Depositi etymon & natura.
2. Eò res ad solam custodiam,
3. Et ad deponentis arbitrium revocanda, datur.
4. Res deposita in specie restituenda est.
5. Deponuntur res mobiles, & aliquando immobiles,
6. Propria & aliene.
7. Ha tamen domino potius, quam deponenti furi,
8. Integra & sine compensatione restituenda sunt.
9. Depositarius dolum duntaxat & culpam latam praestat:
10. Nisi pro custodia mercedem receperit,
11. Sive ad illam obtulerit.
12. Caupones, nauta &c. ferè culpam levissimam praestant.
13. Depositarius non praestat casum, nisi hunc praecesserit culpa lata.
14. Vel de eo praestando convenerit.
15. Conventione dolus expressè remitti Jure nequit.
16. Interitu rebus suis & depositis imminente depositarius pretiosiores:
17. Cum ea sunt aequales, quæ vult, servare potest.

L I

18. 5x